Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 803
Quelle:
Copyright:

tuar. Burchardique Wormat. L. XIX. depromtis.

XIII. *fol.* 90. *Incipit de Libro Ysidori Officiorum de Clericis.* Est L. II. C. 1. 2. et 3. ut in edit. *supracit.* p. 596. Sed interjicitur fragmentum ex *Epistola Siricii de Conjugio*, deque eadem materia alia ex *Isidoro, Concilio Ancyr. Hieronymo, Augustino* &c. adduntur. Ultimum est C. XV. *Ex Decretis Celestini: Quod nulli sit vltima Poenitentia deneganda. Agnouimus enim poenitentiam morientibus denegari* &c. Habetur in *Epist. Coelestini I. secunda* T. III. *Concc. Labbei* edit. *Venet. col.* 479.

XIV. *fol.* 91. p. 2. Epistola inscripta: *Utrum in Caena Datum sit Discipulis passibile corpus. cum nos sumamus impassibile.* Incipit: *L. minimus beluacensis ecclesię beati quintini presbiter H. bone spei fratri. quod pie pulsat sibi patenter aperiri. Litteras fraternitatis tuę nuper accepi* &c. Ecclesiam S. *Quintini* condidit *Guido Bellovacensis* Ep. anno 1067. eamque Canonicis Regularibus tradidit praeposito *Ivone* post Ep. *Carnotensi.* Tam inscribendi modus, quam stilus ipse me ad hujus Viri deduxit *Epistolas*, quae cum ceteris ejus Operibus *Parisiis* 1647. f. prodiere, et en p. 121. nostram numero 287. Deleto itaque superius *L.* rescribe *Ivo*, et *H.* per *Haimericum* exple.

XV. *fol.* 92. Resumuntur *Excerpta* e PP. et exeunt in *Carmen* quoddam, quod, ni fallor, spurium illum *Johanni Chrysost.* tributum Libellum *de Naturis Bestiarum* supra *Cod.* CXCIII. relatum repraesentat. Initium ejus est:

Tres leo naturas habet ut phisiologus inquit &c.

XVI. *fol.* 93. p. 2. absque titulo *Sermo in Natali Domini*, qui incipit: *Natalis domini dies ea de causa a patribus uotiuę solemnitatis institutus est* &c. Breve istud Fragmentum excipiunt *Sermones II.* integri *Leonis* Papae in eodem Festo, et ipsi ἀνεπιγράφοι, qui in edit. *Lugd.* 1700. f. sunt I. et II. p. 70. 71.

XVII. *fol.* 95. *Incipit Prefatio Anselmi Canterberiensis Episcopi.* Praefationem hanc excipit *Homilia* ejus *in Evangelium Lucae* C. X. v. 38. *Intravit Jesus in quoddam Castellum* &c. quae legitur in edit. *Opp. Paris.* 1721. p. 178. et incipit: *In scriptura sacra res una et ejusdem locutionis inuenitur diuersa significare* &c. Cum vero ibi non legatur *Praefatio*, eam hic adscribo: *Quid ad gloriosam dei genitricem lectio ista pertineat, ut in festiuitate eius legatur, plerique solent querere. Unde quid ego sentirem in conuentu fratrum prout potui uulgariter iam plus semel exposui. et quia quod dixi auditoribus placuit. dicta litteris mandare et ab eisdem dominis abbatibus Willibelmo viscanensi. Arnolfo troarnensi*